

40 P. lat. rec. 283

*Biblioth. Acad. Ingolstadii*  
EMINENTISSIMUS, ac REVERENDISSIMUS  
DOMINUS DOMINUS 40 P. lat. rec. 26.

# ANGELUS MARIA

Ordinis S. P. Benedicti, Congregationis  
Cassinen sis, DEI, & Apostolicæ Sedis Gratia  
S.R.E. Tituli S. Praxedis in Urbe Presbyter

## CARDINALIS,

NEC NON  
TITULI ECCLESIAE S. MARCI  
COMMENDATARIUS,  
*EX ANTIQUISSIMA, ILLUSTRISSIMA, ET  
SENATORIA VENETORUM FAMILIA*

## DE QUIRINIS, SACRAE ROMANÆ ECCLESIAE BIBLIOTHECA RIUS,

AC  
EPISCOPUS BRIXIENSIS

AB  
ABRAHAMO TEGERNSE ENSI,

Et ejusdem Monasterii Musis humillimum in  
obsequium festivè exceptus

*Die XXV. Septembris, Annō M. DCC. XLVIII.*

---

Typis Monasterii Tegernseensis.



## RECITAT.

TEGURIUM. Et unde mihi hoc, quòd ANGELUS ad me?  
O Lumen cælicum !  
Salvere te millies jubet Tegurium.  
Salve ! Salve ANGELE EMINENTISSIME !

## ARIA.

O Diem optam ,  
Et lucem beatam  
Qua Tuâ dignarîs Præsentia me !  
An Cœlum tam plenô  
Auróque serenô  
Refulget , dum Cynthius erigit se ?

Felicem me ! pari qui sorte fruor cum Patre cre-  
dentium ,

Hospitem adorare dum mihi licet ANGELUM.

Domine ! si inveni gratiam coram oculis tuis ,

Ne servum tuum transeas ;

Sed conforta cor tuum , & requiem capias. (a)

At quid ? an plures adstant Angeli

Nostrî in obsequium ANGELI ?

Fallor ! Vestitus loquitur alios

In via Comites fidelissimos

Romam , Cassinum , Parifios.

\* 2

RO-

(a) Genes. 18. v. 3. &amp; 5.



**ROMA.** Benè vidisti.

**CASSINUM.** Rem acu tetigisti.

**TEGURIUM.** Quantum capio , quantum sapio :

Roma Dignitatum Culmina ,  
Lutetia clarissima Doctrinæ Lumina ,  
Cassinum enuntiat altissima

In ANGELO nostro virtutum Cacumina.

**CASSINUM.** Et ista quidem Venetus hic ANGELUS  
Serenissimæ Stirpis de QUIRINIS (b) Surculus  
Tum maximè ascendit ,  
Cùm è sublimi Throno humiles ad Monachos  
descendit.

Ibi posuit (c) CORNUA ;  
Hinc exaltatus est in gloria ,  
Nunquam illustrior ,  
Nisi ubi indutô Cucullô obscurior.

## ARIA.

Cernis Axes radiare ;  
Et sat clarè coruscare  
Facibûs sydereis ;  
Nunquam tamen solet bella  
Clarior nitere stella ,  
Quàm dum est in tenebris.

**TEGURIUM.** Vah ! quantus Virtutum splendor !

## ARIO-

(b) Die 20. Martii 1680. ex Antiquissima , ac Senatoria Familia de Quirinis , quæ vel ipsum Imperatorem Romanum , Sergium Sulpitium Galbam suos inter Progenitores numerat , Venetiis nascitur.

(c) Tæniæ Ducum Venetorum , quos inter ex Illustrissima Prosa-pia de Quirinis oriundi Mauritius Galbadius , & Joannes Galbadius circa finem sæculi octavi referuntur , *Cornua* dici solent.

## ARIOSE.

Lucet Clementia ,  
Fulget Justitia :  
Micat Religio ,  
Nitet Demissio.

**CASSINUM.** *Cœtu meo in facerrimo* (d)

*Nihil vidisses modestius ,*  
*Nihil demissius*  
*Nostrô ANGELO.*

*Obiit Ille in Monasterio Ministeria*  
*Abjecta non minùs , quàm ardua ,*

**TEGURIUM.** Verè Angelus ,  
Quia omnibus factus est (e) *administratorius Spiritus*.

**PARISII.** ANGELUM tuum optimè appellas Spiritum ,  
Utpote tanta eruditione ,  
Ac clarissima artium omnium cognitione  
Præ mille aliis ornatum , præditum.

## ARIA.

Ut Soror pulcherrima Solis  
Argenteâ Luce in Polis  
Præminet astris ut princeps & dux ;  
Sic certè terrarum per gyrum  
Doctissimûm millia Virûm  
Exsuperat tuæ Scientiæ Lux.

**TEGURIUM.** Nonne benè dicimus nos ,

Quia alter Salomon es tu ?

Venit , (f) *venit in Te Spiritus Sapientia* ,

Et quem (g) in Aquis ex ipsa hausisti origine ,

\* 3 Gemi-  
(d) Verba formalia ex Roma Sancta in vita Eminent. DD. Cardinalis de Quirinis fol. 214.

(e) Heb. i. v. 14.

(f) Sap. 7. v. 7.

(g) Venetiis scilicet in Aquis , quæ Sapientiam denotant.

Geminavit eundem Minerva, cum excellentia  
In Te propitia.

CASSINUM. Sunt nimirūm (*b*) *Lilia*  
*In floribus terra eminentia.*

ROMA. O! non terrenum, sed coelesti Semine natum  
Angelicum hoc LILIUM,

TEGURIUM. (*i*) Eo fragrantius,  
Quò diuturnius,

PARISII. Stupendum Scientiæ Prodigium,

CASSINUM. Clarissimum Ingeniorum Miraculum,

TEGURIUM. Cujus doctrinâ fulget Ecclesia,  
Ut Sole Luna.

ROMA. Vidi & ego Meridiem hunc Eruditionis plenissimum;  
Et ideo Vaticanæ meum Bibliothecæ præfeci  
ANGELUM

Cherubim & illuminantem, & illuminatissimum.  
Ideo (*k*) primos inter Pastores ovium Eum posui.  
Quid? quòd pro maximis totam in Ecclesiam  
meritis

Supremis Purpuratorum Cœlis inferui.

## ARIA.

(*b*) S. Bernardus Serm. 70. in Cant. NE. In Scuto Gentilitio  
Eminentissimus Cardinalis præfesert Lilia.

(*i*) Est quædam Lilii species, Latinè Iris, quæ, quo diutiùs affer-  
vatur, indies suaviorem fragrantiam diffundit.

(*k*) Eligitur non tantum Abbas in Ocenobio Florentino; sed post-  
quam Archi-Episcopus Corcyrensis renuntiatus est, Eminent. D. D.  
Cardinalis noster Annō 1726. die 9. Decembris in Consistorio priva-  
to creatur; Anno verò 1727. die 26. Novemb. Cardinalis publicatur:  
eodémque ferè tempore Episcopus Brixiensis in Venetorum Territo-  
rio denominatur.

## ARIA.

Quam non pingunt,  
Ostrô tingunt,  
Sors, natura, gratia,  
Speciosa,  
Pretiosa  
Illa illa Purpura:

Illa vera  
Et sincera,  
Quam dant sola merita.

CASSINUM. Quanto honore, quanta gloria

Meum coronâsti ANGELUM Mundi Domina!

ROMA. Non ego, nec amor, quo (*l*) Rosæ ardent in  
Lilia,

Sed sua coronârunt Eum merita.

TEGURIUM. Exulta, gaude,  
Ac de tanta Filii tui gloria, Cassinum! plaudet.

## DUETTO.

ROMA. En tuus Angelus  
Est rubeus.

TEGURIUM. En tuus Filius  
Est candidus.

TEGURIUM. Candescunt lilia.  
Quid gratius?

ROMA. Et rubet purpura,  
Quid pulchrius?

TEGURIUM. Magni Consilii Angele,

ANGELE Maria! qui Domum meam beâsti ut  
domum Abrahæ.

Quas

(*l*) Allusio ad SS.m<sup>z</sup> Memoriæ Papam Benedictum XIII. qui  
ninetissimum D. D. Cardinalem nostrum creavit: & in cuius In-  
nibus Rosam, quæ teste Plinio de Lil. Lilium amant, videre est.

Quas dignas referam grates gratiosissima  
Tua pro Præsentia?  
Eja montes Tegurini! tanta pro Gratia,  
Quæ æterna erit in memoria,  
ANGELO nostro vota humillima exsolvite.  
Et ore unanimi applaudite!

## CHORUS.

Vive diu , vive latus,  
Et Quiritum inter Coetus  
Sera vive sœcula !  
Triplex dum Corona sanos,  
Superi quos dent , post annos  
Sacra cinget tempora.

Ut in omnibus glorificetur

## DEUS.

*S. Regul. Cap. 57.*

